

cio afficiendis destinato loco, pœnas lueret, in arce Antoniana capite plesti jussit. Hic exitus Bironii fuit, qui regni & vindicta ac proditor merito dici potest. Puer matris hæreticæ sinu avulsus, catholicæ erudiendus traditus; verum ingenium ad alia omnia ruvidum, ægre legendi elementa addiscere potuit. Pater, summus Valeliis Regibus castrorum præfectus, militiæ devovit; tironem agere inter gregarios milites voluit; per gradus ad summum militiæ fastigium sublatum, e signifero peditum cohortis, equestris turmæ dux effectus; maris præfecturam inde adeptus; hipparchus demum, sive ut vocant, *Marescallus* evasit; atque eo amplitudinis pervenit, ut is potissimum hoc ipso nomine designaretur. Adeo bello civili Gallico inclaruit, ut uni quandoque Rex servatam patriam acceptumque regnum retulerit; ingentibusque sublatum laudibus dignitatibusque decoraverit. Henricus de Bironii conjuratione deque in illum lata sententia per Fraxineum legatum Patres certiores facit. Regi Senatus nomine Marinus Caballius est gratulatus, quod nefarii hominis consilia conatusque detexisset, quod Dei Optimi Maximi eximia providentia summis periculis non semel creptus, præcipuam divini numinis curam in se patrociniumque expertus esset.

Eodem fere tempore Henricus Helvetiorum omnes pagos sibi, foedere renovato, certis conditionibus obstrinxit; eoque de foedere per eundem Fraxineum Patres docuit: non minus ad Galliæ firmamentum, quam ad amicorum præsidium, sibi præpotentem armis gentem majorum exemplo adjunxisse; Reipublicæ, quam inter præcipuos amicos connumeraret, si occasio intercessisset, auxilio una cum sui regni opibus futurum. Verum de Rhætorum societate negotium denuo agitari coeptum; eam enim imprimis usui Reipublicæ fore Patres existimabant, quo aditus ad externum militem in suos fines evocandum pateret. Eodem anno, ut majori præsidio res militaris firmaretur, Ferdinando Rubeo, Parmensi, tormentorum præfectura, qui maximus habetur homines, tribus aureorum millibus in singulos annos constitutis, est tributa, viro cum propria tum majorum virtute atque in Rempublicam observantia conspicuo, ac militiæ imprimis pro-

*Henri-
cus Rex de-
novo cum
Helvetiis
fædus init.*

*Ferdin-
andus Ru-
beus, tor-
mentorum
præfectus a
Senatu di-
ctus.*